

theista famosissimus fatetur; quamvis brevi iterum a sapienti hac crisi, ob mysteriorum humana ratione altiorum horrorem, quae in s. Scriptura proponuntur, velut in phrenesi recidat, et inveterato incredulitatis malo abripiatur. Deus ab hoc malo nos praeservet, et ut praeservemur, ferventer et constanter oremus. Fides enim est donum Dei et lumen, quod non viribus naturalibus, sed auxilio supernaturali a Patre luminum suppliciter obtinere debemus.

# NOVUM TESTAMENTUM

## PARS II.

### ACTA APOSTOLORUM ET EPISTOLAE S. PAULI

*Isti (apostoli) sunt Lux Mundi, quia per ipsos lumen fidei et verae scientiae primum Dominus huic mundo tradidit, et ab errorum ac peccatorum tenebris gentes et populos eruit.*

S. August., Serm. 42 de Sanctis.

#### SECTIO I.

#### DE ACTIS APOSTOLORUM

ACTA APOSTOLORUM capitibus viginti et octo Christi in coelos ascensionem, visibilem Spiritus s. missionem, nascentis ecclesiae christianae primordia, gesta apostolorum (praecipue s. Pauli) describunt. Auctor huius libri est s. Lucas, qui eum graeco sermone conscripsit.

1. QUÆRES I. *Utrum acta apostolorum sint liber canonicus et divinae auctoritatis?* R. Affirmative. Id enim iam a nobis ostensum est p. IV Scripturae s. contra incredulos propugnatae, V. T., sectio I, quær. I, ubi libros omnes, quos Tridentinum in canone sacrorum librorum posuit, et inter quos etiam sunt Acta apostolorum, canonicos atque divinos esse probavimus. Porro id ipsum ulterius confirmatur ex eo, quia sancti ecclesiae patres *Actorum apostolicorum*

textus uti divinitus inspiratos semper aeque laudaverunt, atque eandem semper auctoritatem his actis, ac aliis s. Scripturae libris tribuerunt. Ad *Acta enim apostolorum* appellat s. Clemens (1) tanquam ad divinam Scripturam; et s. Polycarpus (2) uti divinum laudat testimonium desumptum ex cap. 2, v. 24 *Actorum apostolicorum*. Apologistae quoque christianae religionis ad acta apostolorum, uti ad Scripturam divinitus inspiratam recurrerunt, quod fecit etiam s. Irenaeus (3), sicuti omnes alii patres eiusdem aetatis, sequentiumque seculorum; quemadmodum ex s. Augustino nosse possumus, qui (4) de *Actis apostolorum* inquit: « Actus apostolorum testes sunt: ille liber canonicus omni anno in ecclesia recitandus. Anniversaria solemnitate post pas-

(1) In sua 4 epist. ad Corinth. n. 8, et in fragmento 2 epist.

(2) In ep. ad Philipp.

(3) L. 5 contra Haeres. c. 12, atque alibi saepe.

(4) In Ioan. c. 4, tract. 6, n. 18.

sionem Domini nostri illum librum recitari, ubi scriptum est quomodo conversus sit apostolus, et ex persecutore praedicator factus. » Et a libi (1) ait: « Actus apostolorum liber est de canone Scripturarum. Ipse liber incipit legi a dominica paschae, sicut se habet consuetudo ecclesiae. » Accedit testimonium *Eusebii* ecclesiast. histor. L. 3, cap. 4 ita loquentis: « Lucas.... duos nobis libros divinitus inspiratos reliquit. Alter eorum evangelium est, quod quidem ita se prorsus exarasse testatur, prout ab ipsis verbi divini ministris, et qui ab initio Christum viderant, acceperat.... Alter liber inscribitur Actus apostolorum, quos ille non iam auditione acceptos, sed oculis suis spectatos scriptis tradidit. » Et cap. 25 eiusdem libri, in quo agit de iis sacris Scripturis, quae communi consensione omnium receptae sunt, ita habet: « Primo igitur collocanda est sacra evangeliorum quadriga, quam deinde consequuntur Actus apostolorum. » Ex his omnibus non minus compertum est, *Acta apostolorum* habere *Lucam* auctorem, quam usque a primis ecclesiae seculis fuisse librum divinae auctoritatis.

SCHOLION. Etiam *dom. Thomas Stackhouse* scriptor licet acatholicus (2) prolixè demonstrat haec duo: I. quod facta seu historiae in *Actis apostolorum* contentae sint certissimae. II. Quod veritas christianae religionis ex certitudine historiae in illis *Actis* contentae invictè ostendatur. PRIMUM demonstrat ex eo, quia *Acta apostolorum* continent facta orbi notissima, quae a viro (nempe a *s. Luca*), qui eorundem accuratissimam notitiam habere potuit, conscripta sunt, quique

(1) Serm. 515, n. 1, alias serm. 93 de diversis.

ipsemet rebus gestis, quae scripsit, magnam partem praesens aderat; qui praeterea haec *Acta* a se scripto exarata, in lucem publicam edidit eo tempore, quo ubique plurimi testes superstites erant, qui ab eodem scriptam historiam ortenus confirmare poterant. Ac denique, quia hic liber *Actorum apostolorum* ab omnibus ecclesiis christianis tanquam divinus receptus et agnitus est: unde historica veritas rerum gestarum, quae in hoc libro describuntur, irrefragabilis est, et nullatenus negari potest. SECUNDUM vero demonstrat, ceu necessarium consequens ex primo, hunc in modum argumentans: si res gestae, quae in *Actis apostolorum* describuntur, verae sint, prout verissimas esse modo demonstratum est, hoc ipso etiam demonstratum est, nec amplius negari potest, quod *Iesus*, qui Hierosolymis crucifixus est, a mortuis resurrexerit, et ad coelos ascenderit, quod effuso super discipulos Spiritu s. die pentecostes, iidem in Iudaeam, Samariam, etc. exierint praedicaturi evangelium; quod ubique docuerint *Iesum Nazarenum* esse filium Dei et promissum Messiam; quod doctrinam suam signis et miraculis, quae nemo prudens negare potest, confirmaverint; ac proin quod veritas institutae a Christo religionis pariter sit certa et demonstrata; utpote cum in testimonium seu confirmationem falsae religionis nullum verum miraculum fieri possit.

2. QUÆRES II. *Quomodo veritas ascensionis Christi in coelum* (Actor. c. 1, v. 9), *et descensus Spiritus s. in die pentecostes super apostolos ea ratione, qua in Actis apostolorum* (cap. 4) *legitur contra incredulos ostendenda sit?* R. De veritate a-

(2) In defensione biblicae historiae, et in ea fundatae religionis, part. 8, c. 5, § 50.

scensionis Christi in coelum iam a libi (1) a nobis actum est: veritas autem descensus Spiritus sancti super apostolos in die pentecostes sic ostenditur. Duo in illo eventu distingui debent, signa scilicet, quibus manifestum se praebuit Spiritus s., et donum linguarum: atqui utrumque certum est.

PRIMO quidem signa, quibus Spiritus s. se manifestum exhibuit, certa sunt. Nam signa illa erant ventus vehemens, sonus, et dispersitae linguae tanquam ignis, iuxta illud (2): *Et cum complerentur dies pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: et factus est repente de coelo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et appa-ruerunt illis dispersitae linguae tanquam ignis, seditque super singulos eorum.* Atqui concipi non potest non modo apostolos, sed multos alios in eodem loco congregatos (3) gratis sibi finxisse videre, quod non videbant, et audire quod non audiebant. Quis enim credat, sonum et ignem simul in quocunque praesentium cerebro efformatum et sola imaginatione confictum fuisse, praesertim ignem tali forma, tali situ et loco? ergo inprimis certa sunt signa, quibus Spiritus s. in die pentecostes apostolis, aliisque in eodem loco congregatis se manifestum exhibuit, neque ii a sua imaginatione decepti sunt.

NEQUE DICAS, apostolos quidem imaginatione sua non fuisse deceptos, sed ab ipsis deceptum esse

(1) Vide s. Scripturae contra incredulos propugnatae, N. T., pars I, sect. 5, q. 29, n. 154-157.

(2) Actor. c. 2, v. 1-4.

(3) *Tirinus* comment. in Act. 2, v. 1, observat, tunc in eodem loco seu coenaculo congregatos fuisse centum et viginti christianos, citatque hanc in rem ss. *Cyprianum* et *Chrysostomum*, aliosque pa-

populum, in vulgus spargentibus se, et cum simul congregati essent, sonum de coelo venientem audisse, et linguas igneas supra ipsorum capita descendisse, ac dona Spiritus s. sese recepisse. Ne, inquam, hoc dicas. Contrarium enim patet ex tota apostolorum agendi ratione, quam post diem pentecostes ad mortem usque servaverunt, quae talis fuerat, ut nihil eorum quae praestiterunt praestare potuerint, nisi divino Spiritu animati fuissent. Certe mutatio, quae in die pentecostes in apostolis repente contigit, rem eandem manifeste suadet. Postquam enim sonum e coelo venientem audierunt, et ignis dispersitae linguae supra capita singulorum ceciderunt, repente alii ac antea evasere. Nam cum metu et timore perculsi simul in eadem domo uniti antea manerent, statim ab illorum signorum visione alacres facti palam prodeunt, Christi resurrectionem omnibus confidenter annuntiant; et qua adhortationibus, qua suasionibus etc., singulos adducere conantur ut in Christum credant. Tantum vero sua praedicatione per orbem terrarum proficiunt, ut licet qui christianam religionem amplecti voluerint aliud omnino diversum vitae genus, atque illud quidem illecebris sensuum omnino oppositum, sequi debuerint, tamen tum iudaeorum, tum ethnicorum permulti eisdem assensi sint.

3. At vero, quod discipuli Domini in die pentecostes populum non fraudulenter deceperint, ulterius

tres. Quare inepte et imperite *Beza* restringit ad solos apostolos hunc Spiritus sanctus adventum, ac ab eo excludit b. Virginem, ridetque pictores, qui eam pingunt in medio apostolorum recipientem Spiritum sanctum; prout pariter contra *Bezam* observant *Tirinus* et *Cornelius a Lap.* comment. in Act. c. 2, v. 1.

invicte demonstratur ex dono LINGUARUM. Ut enim hoc dono populum decepissent, debuissent personae adstantes sibi videri audire linguam, quam non audiebant, et quam discipuli Domini non loquebantur; atqui repugnat sensuum tam universalis deceptio. Et certe hic agitur de gentibus genio et regione longe dissitis, de gentibus exteris et valde remotis, ac consequenter, si discipuli eas decipere voluissent, multo tempore opus fuisset ad fraudem ordinandam; cum tamen illi in die pentecostes subito in publicum prodierint, dono linguarum instructi; prout patet ex Actorum cap. 2, v. 4 et seqq. ubi ita legimus: *Et repleti sunt omnes Spiritu s., et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus s. dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes iudaei viri religiosi ex omni natione, quae sub coelo est.... Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes et mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, galilaei sunt; et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus? Parthi et medi, et aelamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Aegyptum et partes Lybiae quae est circa Cyrenem, et advenae romani, iudaei quoque et proselyti, cretes et arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem omnes, et mirabantur ad invicem dicentes: quidnam vult hoc esse? Ex hac ergo narratione manifeste constat, apostolos post*

(1) Réponses critiques, t. 1, n. 68.

(2) In *Nova forma theol. bibl.* tom. 3, l. 7, q. 3.

acceptum in die pentecostes Spiritum s. multiplicia genera linguarum fuisse locutos, et huius rei testes integras habuisse nationes: adeoque verum esse donum illud linguarum in die pentecostes coelitus datum apostolis.

4. QUÆRES III. *An verisimile sit, quod quidam iudaei, qui apostolos in die pentecostes peregrinis linguis loqui audiverunt, irridentes (Actor. c. 2, v. 13) dixerint: QUIA MUSTO PLENI SUNT ISTI; cum tamen tempore pentecostes, quod apud iudaeos in mensem maium incidit, nullum adhuc mustum detur, sed vites primum floreat? Ita quidem testibus cl. Bullet (1) et Weissenbach (2) imperite iocantur religionis hostes; sed ignorant, aut se ignorare simulant facilem, imo obvium ac naturalem illorum verborum sensum esse hunc: Isti videntur haud secus agere et loqui ac illi, qui musto se inebriarunt. Ubi vides ebrietatem hoc sensu respici, non vero tempus seu mensem quando vites florent. Hinc s. Petrus convitium illud in apostolos a quibusdam iudaeis prolatum repellens (3), admonuit: Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, q. d. hora tertia ab ortu solis, quae respondet nostrae novae antimeridiana, non solent homines ebrii concursare. Hunc sensum obiecto sacro textui attribui posse facile potuissent increduli cognoscere ex orthodoxis interpretibus. Audiamus Cornelium a Lap. qui incredulorum obiectionem, de qua hic agimus, pridem solvit aut praeoccupavit his verbis (4): Musto pleni sunt isti. « Haec (illi irrisores) dixerunt in pentecoste, puta in maio, cum non sunt uvae, ut ex*

(3) Actor. c. 2, v. 15.

(4) Comment. in Actor. c. 2, v. 15.

eis mustum vinumque recens exprimi possit. Verum irridendo et subsannando hoc dicunt. Unde non curant congrue, sed maledice loqui; q. d.: Isti videntur ebrii et insanire, perinde ac si mustum bibissent. Ita laudatus interpres. Tiritinus (1) vero adhuc aliam responsionem dat dicens, vocem graecam γλεύκος, quae hic in textu graeco ponitur, etiam omnem succum dulcem significare, adeoque haud esse necessarium, ut cit. loc. intelligatur mustum proprie tale et ex uvis recens expressum, sed solum aliquis liquor dulcis, et talem hic per vocem *mustum* in latina vulgata significari. Sic quoque Bullet loc. cit. respondet cum Calmeto (3) observante, quod veteres artem norint ita vinum parandi, ut dulcem potum anno toto praeberet. Parabatur autem hic potus ex *musto* coacto, et ad certam quantitatem evaporatione redacto. Vel liquor erat ex uva dulcissima et sole adusta, cuius expressus succus aqua et melle admiscebatur; vel denique vinum erat,

(1) Comment. in hunc locum.

(2) Notandum est, quod Acta apost. originaliter graece scripta sint; prout ab initio huius sectionis i diximus.

(3) Comment. in Actor. c. 2, v. 15.

(4) Lib. 14, c. 9.

(5) Hic notandum, quod multorum veterum opinio fuerit, Verbum seu Filium divinum a multis visum esse in veteri Testam., ex. gr. ab *Abrahamo, Moysse, etc.*, non hoc sensu, quod Filius divinus non habeat eandem cum Patre naturam divinam, quae ex se invisibilis est, sed quod is, cum ab aeterno destinatus fuit ad humani generis reparationem, formam visibilem olim assumpserit, in qua iam tum cum hominibus conversari incipiebat, non quidem alicui corpori, aut omnino toti euidam naturae humanae (ut postea in Incarnatione factum est) unitus unione vera, physica, et hypostatica, sed dumtaxat in specie corporea se ad tempus visibilem, praebens; prout docuere s. Cyprianus l. 2 contra iudaeos, c. 3, s. Hilarius, l. 5 de Trinitate, et s. Grego-

quod ne ebulliret prohibitum, nativam dulcedicem retinebat. Vide *Plinium* (4).

5. QUÆRES IV. *Quomodo illud (Act. 3, v. 21): OPORTET COELUM SUSCIPERE CHRISTUM (h. e. susceptum retinere) USQUE IN TEMPORA RESTITUTIONIS OMNIUM, concordet cum apparitione Christi s. Paulo (Actor. 9, v. 5) aut aliis sanctis hominibus in terris facta iam ante diem iudicii extremi ac finem mundi, quo omnia restituentur? R. et dico, duplicem ac diversam esse sententiam et responsionem ad hanc propositam quaestionem. Aliqui enim propter illa ipsa Actor. 3, v. 21 modo citata verba Scripturae simpliciter negant Christum, postquam in coelum ascendit, unquam inde descendisse, putantque apparitiones illas Christi s. Paulo, aut aliis sanctis hominibus factas, non reales, sed solum secundum imaginationem videntium extitisse; vel fuisse quidem reales, non tamen ipsius Christi, sed alicuius angeli corpus aëreum assumptis, quod repraesentaret Christum; sicut ante incarnationem (5),*

*rius Nazianz. tract. de fide. Sed longe communior, et priori praeferenda est opposita sententia s. Hieronymi in cap. 4 ad Galat. et s. Augustini, l. 5 de Trinitate, ac aliorum qui asserunt, illas in veteri testamento apparitiones Dei factas esse per angelos, qui corporibus assumptis Deum repraesentabant, sicque erant Deus repraesentative et auctoritative, non vero personaliter. Unde, qui apparuit Moysi in rubo ardente et incombusto, dixitque Exod. c. 3, v. 6: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, etc., fuit angelus iuxta illud s. Stephani testimonium Actor. cap. 7, v. 50. Apparuit illi (Moysi) in deserto montis Sina Angelus in igne flammae rubi. Item lex Moysi in monte Sina, teste s. Paulo ad Galatas c. 3, v. 19 per Angelos est ordinata, seu nomine Dei tradita et promulgata. Vide Menochium comment. in Exod. c. 20, v. 1. Calmetum comment. in Galat. c. 3, v. 19, aut alios interpretes. Nimirum Angeli sunt administratorii spiritus, quorum mi-*

Verbum divinum patribus in veteri Testamento saepe apparuit non immediate in se, sed opera angelorum Deum in corpore aëreo repraesentantium; vel denique admittunt apparitiones illas fuisse reales ipsius Christi, coelum tamen non relinquens, sed in diversis locis replicati, sicut in eucharistia sub diversis particulis consecratis simul existit.

Verum probabilior est sententia s. Thomae (1), Suarez (2), Caietani, Lorini, et Gasparis Sanctii, qui censent, Christum modico tempore quandoque coelum relinquere, ac reipsa descendisse ad Saulum convertendum, ad sanctissimam Matrem suam recipiendam in coelum, aut ad aliōs sanctos solatio afficiendos. Hinc iuxta hanc istorum auctorum verisimiliorem sententiam verba illa: *Oportet coelum suscipere Christum usque in tempora restitutionis omnium*, solum indicant, quod Christus thronum gloriae suae in coelo firmiter collocavit ita, ut ex eo publice, visibiliter coram omnibus, et cum solemnī pompa non sit descendurus, nisi in die iudicii ultimi, neque ad longius tempus inter homines familiariter versaturus: cui non repugnat, quod invisibiliter, aut secreto et modico tempore quandoque descendat. Quemadmodum enim, qui domicilium suum alio transfert, ibi semper habitare et esse dicitur, etiamsi aliquoties animi gratia aut alias ob causas egrediatur, quia ibi fixam habet et stabilem sedem: sic Christus, etiamsi ex. gr. Virgini in coelum assumenda, vel Saulo in via versus Damascum occurrerit, non tamen ideo coelum

nisterio Deus in executione voluntatis suae uti solet.

(1) In Summa p. 5, q. 57, art. 6 ad 5.  
(2) T. 2 in p. 5, s. Thomae, q. 58, sect. 4.

(5) Loc. cit. q. 4.

reliquisse dicendus est, quia non e fixo in coelis domicilio in aliud stabile emigravit. Vide s. Thomam, Suarez, aliosve auctores supra citatos.

6. QUÆRES V. *An aequum et christianae charitati conforme fuerit factum Petri* (Actor. cap. 5) *adversus virum caeteroqui probum Ananiam, et Saphiram eius uxorem, quos ea solum de causa morte punivit, quod ex agri venditi pretio aliquam partem retinuerint absque praescitu suo?* Ita querulantur increduli, quibus cum teste cl. Weissenbach (3) concinit Voltairius. Sed R. incredulitatis obiectantes egregie imitantur Porphyrium philosophum platonium et acerrimum christianae religionis hostem, qui pariter olim accusabat s. Petrum saevitiae et caedis, quod Ananiam iniuste occiderit. Sed refutatus est a s. Hieronymo (4). Neque enim apostolorum princeps, sed, divina iustitia Ananiam et Saphiram repentina morte percussit. Cur vero Deus tam horrenda, tam inopinata morte illos vivos sustulerit, non est nostrum curiosius inquirere. Communiter tamen interpretes censent id factum esse ad terrorem primaevae ecclesiae, et inculcandam fidelibus debitam erga apostolos sinceritatem et reverentiam; quamvis credibile sit, Ananiam et Saphiram tantum quoad vitam temporalem sic esse punitos, non vero fuisse aeternum damnatos; sed ad reprehensionem Petri poenitentes et contritos obiisse, prout Origenes, Pelus. alique censent.

COROLLARIUM. Increduli Deum ipsum criminantur, si huius poenae ulpote DIVINITUS (5) *Ananiae et Sa-*

(4) Epist. 8.

(5) Censet quidem Origenes tract. 8 in Matth. Ananiam tam gravi et inopinata Petri increpatione percussum, ingenti pudore et moerore animam exhalasse: sic-

phirae inflictæ aequitatem sugillant. Porro iustissimam (ut ex dictis facile colligitur) Deus causam habuit, tam terrificam mortis poenam illis infligendi. Nam ambo reos se fecerant turpis avaritiae, simulationis et fraudis, cum fingerent totum agri venditi pretium pia liberalitate a se afferri. Quare hanc tam absurdam fictionem pessimo tum temporis exemplo futuram noluit Deus impunitam relinquere; agebatur enim de constitutione religionis recens a Christo fundatae, agebatur de apostolorum auctoritate, agebatur de salute fidelium, qui in prima illa ecclesia (ut communis interpretum sententia est) voto paupertatis ultro se obstringebant. Igitur ad commune religionis bonum maxime intererat apostolorum auctoritatem, et fidelium sinceritatem terribili etiam poenae exemplo in ipsis ecclesiae primordiis stabilire, ut novi christiani misericordiam Dei simul et iustitiam discerent. *Et factus est timor magnus in universa ecclesia, et in omnes qui audierunt haec; prout Scriptura* (1), *enarrato illo terribili eventu, expresse testatur.*

7. QUÆRES VI. *Quomodo GAMALIEL* (Actor. 5, v. 36) *tumultum a THEODA (ab aliis vocatur THEUDAS) excitatum narrare potuerit; cum tamen, teste Iosepho* (L. 20. Antiq. cap. 2), *THEUDAS primum post multos annos ab habito GAMALIELIS sermone tumultum excitaverit?* Ita per ironiam quaerunt, et librum Actorum apostolorum falsitatis arguere non verentur s. Scripturae irrisores. Sed hunc incredulorum cavillum re-

ut de multis aliis legimus, quod nimia tristitia expirarint; quin et Plinius l. 7, cap. 55, testatur, Diodorum quemdam dialecticae professorem pudore subito extinctum esse, eo quod lusoriam quaestionem non dissolvisset. At Cornelius a Lapide vetius censet, Ananiam ad vocem Petri

futant *Cornelius a Lap., Calmet, etc.* comment. in Actor. 5, v. 36. Quibuscumque R. et dico, incredulos ita obiectantes niti falso supposito, scilicet *Theodam* seu *Theudam*, de quo *Gamaliel* Actor. cap. 5 loquitur, et *Theodam*, cuius *Iosephus* loc. cit. meminit, esse unam eandemque personam. Ast oppositum inde patet, quia *Theudas*, de quo *Iosephus* disserit, teste hoc ipso scriptore loc. cit., extitit sub *Caspio Fado* praeside Iudaeae, id est, anno quarto *Claudii* Caesaris; *Gamaliel* autem suam illam orationem seu sermonem habuit anno 34 Christi, qui fuit annus 18 *Tiberii* Caesaris; cui dein successit *Caius Caligola*, *Caio Claudio*; prout *Cornelius a Lap.* loc. cit. observat. Alius ergo fuit *Theudas*, de quo *Iosephus* loquitur; ut *Cornelius a Lap., Tirinus, Menochius, Calmet*, alique interpretes passim docent. Forte *Iosephi* *Theudas* filius vel nepos fuit *Theodae Gamalielis*, volens rebellionem patris vel avi sui sopitam resuscitare, simulque eiusdem necem ulcisci; prout *Cornelius a Lap., Tirinus* et *Menochius* non vane suspicantur.

SCHOLION I. Nostrae explicationi non obest quod iuxta eam *Iosephus* non meminert *Theodae Gamalielis*. Aliunde enim notum est, quod *Iosephus* non omnia facta, quae usque ad sua tempora contigerunt, et in s. Scriptura commemorantur, recensent. Fors etiam ideo tumultum *Theodae*, cuius *Gamaliel* meminit, silentio praeteriit, quia non nisi quadringentos circiter viros, ut Act. 5, v. 36 dicitur, secum traxit, sic-

divinitus plaga lethali percussus interiisse. Fuit enim haec eius mors non naturalis, sed peccati poena et plaga a Deo inflata. Unde *Dionys. Carthus.* ait, *Ananiam et Saphiram* secreto occisos ab Angelo.

(1) Actor. c. 5, v. 14.

que *Iosepho* minor videbatur, quam ut veniret in memoriam posteritatis; quam observationem etiam *Calmetus* loc. cit. facit.

SCHOLIUM II. Etiam si testimonium *Iosephi Iud.* cum narratione s. *Lucae* in actis apostolorum loc. cit. conciliari non posset (quod tamen iuxta dicta non ita est); reverentia tamen verbo Dei scripto debita postulat, ut potius credamus s. Scripturae, quam narrationi *Iosephi*, hominis fallibilis, cuius scripta multis erroribus infecta sunt. Vide *Henricum Schütz*, et auctores ab eo citatos in *commentario critico de scriptis et scriptoribus historicis*, verbo: *Iosephus Flavius*, edit. Ingolst. et Monach. anno 1761.

8. QUÆRES VII. *Quomodo id, quod Act. 7, v. 2 dicitur: DEUS APPARUIT ABRAHAE, CUM ESSET IN MESOPOTAMIA, PRIUSQUAM MORARETUR IN CHARAN, concordet cum versu 4 loc. cit., ubi dicitur, quod Abraham non ex Mesopotamia, sed ex terra chaldaeorum eductus sit?* R. S. *Stephanus* Actor. 7, v. 2 late accipit *Mesopotamiam* pro omni regione, quae est trans Euphratem. Opponit enim eam terrae Chanaan iudaeis promissae, quae se extendebat usque ad Euphratem, iuxta limites a Deo (1) statutos: quare sub Mesopotamia hic comprehendit Chaldaeam; Mesopotamia enim provincia quaedam est inter duo flumina *Tigrim* et *Euphratem*. In ea pars quaedam ad Chaldaeam pertinet, illa nempe, quae spectat ad septentrionem: pars alia, quae Syriae vicinior est, et ad austrum vergit, extra Chaldaeam est, quae communiter in Scriptura dicitur *Mesopotamia Syriae*. Cum igitur Abraham esset in terra nativitatis suae, id est, in Ur chaldaeorum, inde egredi iussus est: « Exi de terra

(1) Deut. c. 11, v. 24.

(2) Actor. c. 7, v. 5 et 4.

tua . . . et veni in terram quam monstravero tibi. Tunc exiit de terra chaldaeorum, et habitavit in Charan » (2). Porro *Charan* sive *Haran* sunt *Charrae*, quae fuit urbs parthorum, sita in finibus Mesopotamiae versus terram Chanaan, iuxta quam caesus est *M. Crassus* a parthis, de quo *Lucanus* (3):

Assyrias Latio maculavit sanguine  
Charras.

9. QUÆRES VIII. *An s. Stephanus (Actor. 7, v. 5) dicens: ET NON DEDIT (DEUS ABRAHAMO) HAEREDITATEM IN EA (h. e. in terra Chanaan), NEC PASSUM PEDIS, non contradicat libro Genesis (cap. 23, v. 17 et 18), ubi narratur, quod Abrahæ in possessionem datus sit ager Ephronis cum spelunca duplici pro pretio quadringentorum siclorum?* R. Nulla hic est contradictio. Nam s. *Stephanus* tantum dicit nullam ei hereditatem datam a Domino, eo scilicet modo, quo eius posteris Deus dedit terram Chanaan iuxta promissionem suam: atqui hoc omnino verum est. Agrum enim illum non dedit ei Deus, sed pretio suo eum comparavit *Abraham*. Dein non possedit agrum illum quasi hereditatem, scilicet ut vivus eam quasi praedium coleret, sed ut sepulturam, in qua mortua uxor sua *Sara* quiesceret. Sepulcrum enim non est hereditas, nec domus vel ager vivorum, sed potius crypta subterranea mortuorum. Quomodo vero *Abraham*, *Isaac* et *Iacob* in terra promissionis habitaverint tanquam in regione peregrina in casulis suis, docet *Paulus* (4).

10. QUÆRES IX. *Quo sensu (Act. 12, v. 8) Angelus ad s. Petrum dicat: CALCEA TE CALIGAS TUAS; cum tamen nemo caligas calceare soleat?* R. Nego suppositum, quod *caligae*

(3) L. 4 de Bello civili.

(4) Ad Hebr. c. 11.

hic tibialia aut femoralia significant. Veteres enim hebraei, graeci et romani tibialibus non utebantur, nec femoralibus, ut *Cornelius a Lap.* (1) observat. Non igitur tibialia aut femoralia, sed sandalia hic per caligas significantur. Imo textus graecus habet: ὑπόδησαι τὰ σανδάλια σου, subliga sandalia tua, id est, indue et adstringe soleas vel calceos tuos. *Caliga* enim a ligando calce sic dicta, quasi *calciliga*. Latinis olim calceum vel sandalium, seu soleam designabat, inquit *Salmeron* et omnes eruditi.

11. QUÆRES X. *Quomodo illud (Act. 12, v. 17): NUNTIATE IACOBO, CONCILIETUR CUM V. 2 (ibidem) ubi dicitur, Iacobum fuisse occisum gladio?* R. Facile est concordiam inter hos duos versus ostendere. Nam primo loco sermo est de *Iacobo Alphaei*, qui etiam dicitur *Iacobus minor*, eratque hierosolymorum episcopus: altero loco intelligitur *Iacobus maior*, qui erat *Zebedaei* filius, fuitque gladio occisus.

12. QUÆRES XI. *An Paulus (Actor. 16, v. 3) licite circumciderit Timotheum, etiam si (Actor. cap. 15) apostoli pleno concilio definierint, legem circumcisionis non obligare gentes ad Christum conversas?* R. Apostoli cit. loc. tantum definierunt circumcisionem non esse necessariam, non autem declararunt eam iam esse illicitam. Cum igitur circumcisio, aliaque legalia mosaica tunc nondum fuerint prohibita, quamvis non amplius fuerint necessaria (sive, ut theologi loquuntur, cum nondum fuerint mortifera, licet iam essent mortua), citra peccatum *Paulus* potuit circumcidere *Timotheum*, habuitque gravem cau-

(1) Comm. in Act. c. 12, v. 8. Et in Hab. c. 2, v. 15.

(2) Vide *Calmetum* comment. in Actor. c. 16, v. 3.

sam id faciendi, ne offenderet iudaeos, qui sciebant, *Timotheum* nondum esse circumcisum, eo quod patrem gentilem haberet, licet ex iudaea matre natus sit (2).

DICES: *Paulus* (3) *Titum* pariter gentilem non voluit circumcidi, et alibi (4) expresse dicit: *In praepitio aliquis vocatus est? non circumcidatur*; hoc est, si quis ex gentilismo ad christianismum vocatur, non est circumcidendus; ergo dum *Timotheum* circumcidit, sibimetipsi seu doctrinae suae contradixit. R. Nulla hic est contradictio. Nam pro varietate circumstantiarum *Paulus* prudenter et recte fecit *Timotheum* circumcidendo, *Titum* vero non circumcidendo. Nimirum *Timotheum* circumcidit, quia, ut antea dixi, circumcisio tunc nondum erat prohibita, et ex altera parte id ad iudaeos sibi et socio suo *Timotheo* demerendos, sicque ad Christum facilius traducendos, utile esse poterat. *Titum* vero, quem iudaei ad circumcisionem volebant compellere, noluit circumcidi, ne videretur eorum sententiae falsae subscribere, qua docebant circumcisionem esse omnino necessariam. Similiter, quando *Paulus* loc. cit. ad corinthios ait, gentilem non esse circumcidendum, tantum vult circumcisionem gentiliu non esse necessariam ad salutem, quamvis tunc adhuc fuerit licita. Loquitur nimirum *Paulus* de suo tempore, quo caeremoniae iudaicae iam quidem mortuae erant, hoc est, non amplius obligabant, sed necdum erant mortiferae, seu illicitae, ut paulo post factae sunt, inquit s. *Ambrosius*, et s. *Anselmus*, teste *Tirino* (5).

13. QUÆRES XII. *Quomodo sine*

(3) Ad Galat. c. 2, v. 5.

(4) 1. Corinth. c. 7, v. 18.

(5) Comment. in 1. Corinth. c. 7, v. 19.